J. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

DE

ECCHYMOMATE,

Quam

PRÆSIDE

SUMMO NUMINE,

SUMMO ARCHIATRO,

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

ORDINIS MEDICI

IN CELEBERRIMA NORICORUM ALTDORFINA

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE MORE MAJORUM IMPETRANDI,

Publicæ ſolemni φιλιάτρων cenſuræ

ad d. 31. Maji CIϽ IϽ CCVII.

H. L. Q. C.

exponet

JOHANNES PETRUS Röſel/

Hersbrucco-Noricus.

Literis HENRICI MEYERI, Univerſit. Typographi.

PERINCLYTÆ ET LIBERÆ

SACRI ROMANI IMPERII

REIPVBLICÆ NORIMBERGENSIS

DOMINIS CONSVLIBUS

ATQVE

SENATORIBVS

STIRPIS ANTIQVITATE,
DIGNITATIS SPLENDORE,
CONSILIORVM GRAVITATE
AC
MERITORVM MAGNITVDINE

ILLVSTRIBVS,

DOMINIS, MÆCENATIBVS
ac EVERGETIS ſuis Gratioſiſſimis,

DISSERTATIONEM hancce INAVGVRALEM
in ſubmiſſæ gratitudinis & obſervantiæ monumentum,
ulterioremque ſui & ſuorum Studiorum commendationem
cum perpetui incrementi ac ad vota fluentis
proſperitatis apprecatione

humillima animi devotione offert
ſeque totum conſecrat
ſubjectiſſimus cliens
JOHANNES PETRVS Röſel.

PRÆFATIO.

THeſes Inaugurales Medico-Chirurgicas de ECCHYMOMATE Tibi L. B. impræſentiarum ſiſto. Primo equidem intuitu ſcrupulum mihi movere poſſes, quod potius ad Officinas chirurgicas artisq; chirurgicæ Studioſos, quam Medicinæ cultorem cathedramque Medicam hæc materia pertineat. Atenimvero quam lubentiſſime & calculum meum Tibi adjicio, ſolummodo hoc admonens, Chirurgiam a Medicina neutiquam ſejungendam eſſe, ſed amica copula ſemper eas conjungendas, ut inde Artis noſtræ Principes Hippocratem & Galenum ipſam Chirurgiam cum Medicina exercere & adminiſtrare haud puduerit; nullus profecto ſine hujus cognitione Medici nomen obtinere poteſt, etenim non omnes morbos & affectus cognitos habet; nullum diem in Praxi ſine hac feliciter tranſigere valet, unus quippe ex triplici fonte Medico eſt, quem vero ignorat. Quare & dignitate & utilitate ſumma hujus artis ſufflaminatus hanc Medicinæ partem etiam cum reliquis pro occaſione conceſſa ſemper excolere ſtudui, hinc nuperrime exantlatis Studiorum Examinibus publicis coram GRATIOSO ORDINE MEDICO loco Speciminis Inauguralis præſentem materiam occaſione Collegii Chirurgici a Magnif. & Excell. D. D. JAC. PANCR. BRUNONE, Theor. & Prax. P. P. Primario longe Celebratiſſimo, h. t. Decano ſpectatiſſimo, totius Univerſitatis, & Collegii Med. Noribergenſ. Seniore maxime venerando, & Poliatro Altdorfino feliciſſimo, Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore Studiorum meorum, quorum plurimam partem ejus fideliſſimæ

pariter ac ſolertiſſimæ informationi debeo, quoad vitæ fila ſarta tectaq; ſteterint, pie devenerando habiti & dictati, elegi. Fave igitur L. B. conatibus meis ſuſceptis, & quæ minus commoda dicta ſunt in meliorem partem, ut interpreteris rogito, Altiſſimum autem Numen, ſummum illum Archiatrum ſupplex invoco, propoſitum præſens adſiſtentia ſua benigniſſime ſecundare ut velit, quod ut fiat FELICITER

JOVA JUVA!

§. I.

DE Ecchymomate acturo, vocis *Etymon* prius declarare neceſſe erit, quo felicior ulterior tractatio inſtitui poſſit, expreſſe monente Galen. L. I. de Temperam. c. 7. quod de ſingulis nominibus, quæ in ſermone aliquo habendo neceſſario incidunt, prius decernere oportet: Notum autem ex ipſo nomine origine Græcum eſſe, deſcendens remote a verbo ἐκχέω effundo, propius a nomine χυμὸς liquor, unde verbum compoſitum ἐκχυμόω liquorem effundo, & paſſivum ἐκχυμῶμαι, & ſic derivativum ἐκχύμωμα & ἐκχύμωσις, unde transgreſſum in civitatem Latinorum ſumſerunt. *Synonyma* ejus varia ſunt: apud Latinos reperiuntur ſanguinis Suffuſio, Effuſio, Suggillatio, Livor, Grumeſcentia, apud Platerum Vibex diſcoloratus, Tagaultium & Chameteum ſanguinis ſubter cutim effuſio, Avicennam & P. Bayrum ſanguis mortuus, & inter hæc præcipuum eſt Suggillatio a verbo ſugo, denotante Nicol. Perotto in Cornucopiis ad Martialem col. 940. n. 30. quamvis alio in loco nimirum col. 133. n. 15. ſeq. ſcribit, quod nonnulli ſint, qui exiſtimant ſuggillatum potius deducendum eſſe a Græco συγγελῶ, quod corridere ſignificat: quippe eos, qui ſigna percuſſionis in facie gerunt, ridere ſolemus: Verum hæc derivatio juſto latius deducta & Tropica videtur; apud Græcos leguntur ἐκχύμωσις, ὑπώπιον (quod quidem alias ſpecialiter oculi ſuggillationem ſignificat) ὑπόσφαγμα, inprimis Hippocrat.

pocrat. peculiare nomen huic affectui dedit, ναυσίωσιν vocans, l. 2. de fractur. t. 24. quod & Paræus notavit l. XI. Chirurg. Cap. I. quod nomen in nullo alio loco extare invenitur, cujus emphaſin & ipſe Galen. in Comment. ad h. l. indicavit, ſcribens, ναυσίωσιν vocat, quam alibi ἐκχύμωσιν dixit, quando ſanguinem expuunt & quaſi evomunt, & a nauſea, quam Jones ναυσίαν vocant. Plura hujus vocis emphaſin declarantia vid. apud Fœſium in Oecon. Hippocr. p. 425. quamvis & reliqua duo nomina in illo textu de fracturis occurrentia pro Synonymis haberi poſſunt, πελίωσις & γαγγραίνωσις, quorum illud reſpondet Latino Livor, & in neutro genere πελίωμα li 6. Epid. ſ. 8. t. 37. & Cocac. l. 182. alterum vero ſuggillationem exprimat in ſummo gradu, quando ſanguis ſubſiſtens jam putreſcens & emortuus notatur. Germanice die mit Blut unterlauffene Haut / braun und blau geſchlagene Striemen / & in ſpecie ὑπώπιον ein blau Aug nuncupatur. *Homonymiam* quod concernit, paucis me expediam, ſi indicavero, me hic non intelligere quæcunque alia Exanthemata etſi rubicunda aut livida, nec maculas rubentes Hepaticas ſcorbuticas partes externas defœdantes, aut febribus malignis & peſtilentialibus ſupervenientes, etſi in hoc tertio conveniant, quod cruoris portiones extravaſatæ ſint, minime autem concretæ, de quibus ſolummodo pro re nata incidenter mentionem aliqualem faciam. Sed acceptio ſtrictior locum habet, ſicuti mox clarius pateſcet.

§. *II.*

Etenim miſſo hocce Onomatologiæ ſcrutinio, ad ipſam Pragmatologiam me confero, Ecchymoma deſcribens, quod ſit ſoluta unitas vaſculorum minorum & capillarium, nec non tubulorum ſive interſtitiorum ſubcutaneorum ſanguinis portiones per cutem diffundentium nunc levior, nunc evidentior, cum vel ſine tumore manifeſto dolorem conjunctam habens, a cauſa externa violenta plaga aut contuſione, (vel etiam interna varie vitiata ſanguinis dyscraſia) oborta ac excitata.

§. III.

Quod in definitione *Generis* loco poſeerim, non Tumorem, ſed ſolutam Unitatem, duo me moverunt rationum momenta. Primum quod Ecchymoma & Ecchymoſis (iis enim nominibus Galenus paſſim ubi horum meminit indiscriminatim utitur) Symptomatice conſiderata pertineat ad Claſſem primam & ſecundam ſymptomatum, videl. Excretionem & Excretum p. n. alicujus liquoris, nimirum ſanguinis, qui retineri in vaſculis debuiſſet, qui autem hic propter vaſcula ſubtiliſſima, rupta & interſtitiola integumentorum dilacerata ſubſiſtit, ſubſiſtendoq; colligitur, collectusq; partium poros replet & replendo tumefacit. Subſiſtit vero propter fibrarum, meatuum & vaſorum turbationem. Igitur morbus, quem immediate comitatur, nullus alius eſſe poteſt, quam ſoluta unitas vaſculorum & meatuum, per quorum cavitatem alias ſanguis libere movetur & remeat. Secundum, quod Tumorem non conſtituerim genus, permovit me autoritas Sennerti, qui L. V. Med. Pract. Part. I. C. 16. ipſe ſenſuum fidem omnibus rationibus præferendam eſſe ſcribere non eſt veritus, quod in Ecchymomate ſæpius & plerumque pars in Tumorem non attollatur, ſed ſanguis effuſus in ſpatia partium ſeſe inſinuet, ut nullus tumor appareat. Neque derogat quid ejusdem autoritati, quod ipſemet d. l. inter Tumores retulerit, quoniam ad nullam ſolutæ unitatis ſpeciem ſimplicem commodius referri poteſt, quamvis Foreſt. Lib. 6. Obſ. Chirurg. ſub Titul. Plagarum, Contuſionum, Vibicum comprehenderit, quæ potius ſunt ſolutæ unitates compoſitæ, quo ſi quis tamen referre velit, mihi non officit, ſed Genus meum manet ſartum tectumque.

§. IV.

Genus excipit Subjectum, puod geminum conſiderandum occurrit. Unum Ecchymomatis, quatenus tanquam Symptoma conſideratur, & hoc conſtituunt integumenta totius

tius corporis communia externa, quatenus contuſionibus & aliis cauſis externis violentis lædentibus maxime ſunt expoſita & obnoxia, præſertim cutis, cuticula & adjacentes muſculi (quarum partium Anatomicam deſcriptionem accuratiſſime delineatam in Magnif. Univerſ. noſtræ h. t. Rectoris, Præ-Nobiliſſimi, Excellentiſſimi & Experientiſſimi D. D. JOH. MAVR. HOFFMANNI, Anatom. Botan. ac Chem. P.P. longe Celebratiſſimi, Conſiliarii & Archiatri Onoldo-Brandenburgici & Solisbaco-Palatini ſplendidiſſimi, Academ. Naturæ Curioſorum Adjuncti, Heliodorus dicti, longe meritiſſimi, Dn. Præceptoris & Promotoris Studiorum meorum Maximi ſubmiſſo obſequio & obſervantia ætatem proſequendi Idea Machinæ Humanæ videſis) per quæ tranſparent portiones cruoris effuſæ & ſub illis ſe expendentes atque concretæ. Alterum ſuggillationis, ſub idea morbi conſideratum, ſunt arteriarum & venarum tenuium ſanguinem vehentium extremitates capillares, ut & meatus ſive pori ſenſiles & inſenſiles, quos admittere neceſſe eſt, ſiquidem Anaſtomoſes (cujus vocis ſignificatio valde æquivoca eſt,) melius inoſculationes utriusque generis vaſorum nondum plenariam commeruerunt fidem, imo has ſolide refutarit Celeberrimus Bohnius in Circulo Anatomico-Phyſiologico Prog. VI. Has autem partes eſſe verum ſubjectum hujus morbi vel ad ſenſum patet, ſiquidem ab earum ſoluta continuitate ſanguis effunditur, extravaſatur & ad ſpatia vicina ſecedit. Per violentam autem plagam vel contuſionem illatam, ſolutionum continui dictarum partium varii proveniunt modi vel ſpecies, ſiquidem harum 3. numerat Illuſtre Jenenſium Sidus Magnus Wedelius in Patholog. Dogmatic. Sect. II. C. 12. διαπήδησιν ceu leviorem ſanguinis per vaſorum rarefactionem tranſilientis & tranſudantis eruptionem, cujus vocis ſignificationem egregie expoſuit Foëſius in Oeconom. p. 154. minus vero accurate mihi videtur per ſubſultum vertiſſe Gvinterius Andernacus

nacus in Annotationibus ad P. Æginetæ L. IV. c. 30. ἀναςόμωσιν ſive reſerationem oſculorum vaſorum hiantium & διαίρεσιν ceu graviſſimam exeſionem p. n. vaſorum, & hæc ibidem egregie & nervoſe explicat. Verum nullum impedimentum mihi obſtans video, cur non etiam quartam ſpeciem nempe ῥῆξιν vel ῥῆγμα rupturam addem, cum & hæc partium mollium membranaceo-nerveo-carnoſarum ſit violenter facta ſoluta continuitas. Quando vero nunc quæritur, quænam harum unitatis vel continui ſolutionum morbum in præſente affectu conſtituat, nihil abſurdi inferre puto, ſi dixero omnes quatuor in ſuggillatione locum habere pro diverſis gradibus & Caſibus, quemadmodum paulo poſt Differentiarum mentionem facturus clarius deducam, ſi prius ordine jubente cauſarum Ecchymoma inferentium conſiderationem præmiſero; quamvis diſſimulare nolim memetipſum adhuc ancipitis eſſe ſententiæ, an primus modus, proprie huc pertineat, qui potius in generatione macularum, quarum conſiderationum vero ſuperius a meo ſcopo primario removi, utpote a cauſa interna magis provenientium, obſervari poteſt.

§. V.

Cum enim non ſufficiat morbi ſpeciem determinaſſe, verum etiam ejus Cauſas indagare opus ſit, quare cauſas præſentis affectus explicabo: Quamvis vero in plerisque, ſi non omnibus, morbis particularibus tria cauſarum genera proponi & exponi ſoleant, Proxima, Antecedens, & Remota ſive Procatarcticæ, ſicut jamdudum docuit Magnif. ac Spectatiſſimus DN. DECANVS in Dogmatib. & Propyleo ſuo. Attamen libet mihi non tam brevitatis ſtudio, quam ob certam rationem aliquam paulo poſt producendam, primario proximam hic conſiderare, Ecchymoma efficientem, & quidem ſolum externam, quæ eſt caſualis & fortuita. Hanc communiter vocant Medici Contuſionem, quod nomen Foreſtus aliique cauſam pro Ecchymomate ſumſerunt, interim ſi accuratius

ratius cauſam cognoſcere debemus, nullum eſt dubium, quod non ſolum Contuſio, verum & Percuſſio, ictus, plaga, alliſio, caſus vel lapſus ab alto, ruptura, labor immodicus juxta Matth. Roſſium, imo quocunque impetu vehementiori partibus externis læſio inferri poteſt, Ecchymoſin efficiunt; præſertim etiam puncturam ſive perforationem venæ ab imperito Chirurgo factam ſuggillatio ſubſequitur. Modus fiendi breviter in hoc conſiſtit, quod, quamprimum ejusmodi cauſa violenta, quocunque nomine veniat, membrum aliquod integumentis communibus obvelatum ἀθρέως ϗ βιαίως confertim & violenter contingit & afficit cum aliqua renitentia, ſubjacentia vaſcula capillaria nec non interſtitiola ſive pori ita turbentur, & partim eorum continuitas diſſolvatur, partim eorum ordo confundatur, ut inde ſanguis in ſuo affluxu & refluxu lædatur & impediatur, hinc extravaſatus, ſubſiſtens & collectus transpareat per cutim & cuticulam, ab initio colore rubicundo, perraro partes dictæ retinent colorem naturalem, mox vero propter ſupervenientem coagulationem, interdum & grumeſcentiam aliquam color lividus, flaveſcens & nigricans ſubſequitur.

§. *VI.*

Quod ſi quis tamen velit, ut mentionem etiam cauſarum procatarcticarum faciam, ille pro lubitu eo referat ex Obſervat. & Caſib. individualibus illas occaſiones, quæ ictui, percuſſioni, lapſui, perforationi &c. anſam dederunt, quamvis earum cognitio nullum uſum præbeat aut indicationem curatoriam, cum ſint meræ fortunæ. Poſſunt autem eſſe e. g. gaudium im̄odicum, ira, excandeſcentia, rixæ & plures aliæ animi commotiones vehementiores, ut & mentis abalienationes, imo & Somnambulatio ex Hildan. Obſerv. Chirurg. Cent. II. Obſ. 84. 85.

§. *VII.*

Quod vero & ab internis cauſis, qua proxima, qua antecedente oriri ſoleant Ecchymomata, inficias ire nolo, ſiqui-

 dem

dem ſcorbuticis & hypochondriacis familiaria eſſe ſolent, quod vero a præſente pertractatione fere excluſerim, hæc permovit ratio, quod non opus habeant ſpecialiori curatione, ſed vel ſucceſſive & ſponte evaneſcunt, & nova alio in membro ſequuntur, quemadmodum per plures annos Spectatiſſimus DN. DECANUS, absque ſanitatis diſpendio in ſemetipſo obſervaſſe, mihi retulit, vel illorum curatio cum curatione primarii cacochymici morbi, quem comitantur, cohæret. Interim tamen illas maculas a cauſa interna humorum vitiatorum enatas veram Ecchymoſin æmulantes, non penitus excludere licet, quando juxta Matth. Roſſium in ſuis Conſultationibus & Obſervat. Chirurg. C. X. ſcribit, Ecchymoma etiam fit, cum ſanguis e tenuibus exilibusque venis in cutem ſparſis effunditur, quæ ob ſanguinis copiam aut tenuitatem, aut acrimoniam muriatico-ſalſam, aut etiam vaſorum imbecillitatem vel anaſtomoſi vel diapedeſi referantur, & tales Obſerv. notabiles binas a cauſa interna obortas communicavit quam benevolentiſſime Præ-Nobil. Exper. atque Excell. D. D. J. J. BAJERUS, Phyſiol. & Chirurg. P. P. longe Celebratiſſimus, Illuſtris Reip. Norib. Phyſic. Feliciſſimus, Dn. Præceptor ac Studiorum meorum Promotor ſumma pietate æternum colendus ex Ephemerid. Germanic. Decur. II. Ann. X. Obſ. LX. a D. Graſſio in hypochondriaco-hyſterica & iſchiadico obſervatas, totidem etiam Obſervat. G. Horſtius in Obſerv. Medicinal. Singular. L. IV. P. II. Obſ. XI. unam in arthritico, alteram in epileptico obſervatas, annotavit.

§. *VIII.*

A ſupra autem memorata colorum varietate §. 5. proveniunt Differentiæ, dum Gal. Lib. de tumor. p. n. c. 10. & L. X. de M. S. F. c. 9. duas conſtituit ſpecies, unam καὶ ἐξοχὴν Ecchymoma vocans ſubrubrum, quæ tamen & πελιδνὰ colorem plumbeum & lividum Melancholicis alias familiarem ſub ſe comprehendit, alteram μελάσματα, quando color in

album

album vel nigrum mutatur, verum cum pro varietate conſtitutionis ſanguinis vel bilioſi vel pituitoſi aliquando flaveſcens color vel alius ſeſe offerat, commode ſpecies plures concedi poſſunt. Alias & aliæ differentiæ attendendæ veniunt v. g. quod ſuggillatio aliqua ſit ſimplex, quæ in definitione comprehenditur, alia compoſita, quando vel contuſio & ruptura fibrarum, vel carnis muſculoſo-glanduloſo-vaſculoſæ compreſſio & læſio concurrunt, quo pertinet θλάσις & Sarcothlaſma, quæ nomina apud Foreſtum leguntur. Eſt & quoddam Ecchymoma Recens, quoddam Inveteratum, aliud Benignum in partibus mollibus carneis obortum, Malignum aliud, partes nervoſas imo & duras cartilagineas & oſſeas in conſenſum trahens, quemadmodum ex Obſervat. innoteſcit, & ſcitu neceſſarium eſt propter præſagium eventus ſperandi vel metuendi.

§. *IX.*

Ad quod Prognoſticon me nunc accingo, ſiquidem Diagnoſticis ſignis hic non opus eſſe per ſe manifeſtum eſt, ideo quod ſuggillationes in ſenſus incurrant, & viſui ſint expoſita: Quin potius de accurato & exacto Prognoſtico ſollicitum me eſſe oportet, utpote quo in accurato judicio de eventu morborum ferendo & Medici autoritas & ægri erga illum confidentia verſatur, at enimvero cum hic affectus ſub variis ſpeciebus ludat & variet, hinc judicium difficile & multiplex exoritur, itaq; neq; temere de Ecchymomatibus Eventus ſalutaris promittendus, nec ſtatim dubius multo minus funeſtus prædicendus erit, ſed pro diverſitate ſubjecti & cauſarum variandus. Quod equidem Senn. l. c. in genere ſcripſerit, quod ἐκχυμώματα plerumque ſine omni ſint periculo, illud tantum de levioribus ſaltem Vibicum nomine venientibus, exiguis, recentibus & a cauſa externa obortis, ubi ſanguis adhuc tenuis, & ad recurſum diſpoſitus obſervatur, nec manifeſta actionum læſio conjuncta eſt, intelligendum eſſe contextus ipſe edocet.

 Cete-

Ceterum ne Medicus hallucinetur in prædictione, circumſtantias cum ſubjecti, tum cauſæ ſive organi externi plagam inferentis probe conſideret, quo facto varietatem judicii de eventu ferendi facile cognoſcet. Ita ſi ſuggillatio in parte molli carnoſa absque ruptura aborta & excitata, pars affecta etiam ad remediorum applicationem idonea fuerit, conſpirantibus & aliis bonis ſignis, quoad colorem, ſymptomatum paucitatem & indolem, curam faciliorem & eventum ſalutarem polliceri Medicum poſſe nullum eſt dubium. Quo ſpectant Foreſt. Obſerv. Chirurg. L. VI. Obſerv. 28. Riverii Obſervationum quarta a D. Pomaret communicata, Muys Decad. III. Obſ. 8. Chirurg. Rational. Timæi von Guldenklee L. VI. Caſ. 9. huc etiam pertinere & facere videntur Obſerv. §. 7. citatæ.

§. *IX.*

Si vero Ecchymoma partem ſimul nervoſam, tendineam circa articulos occupaverit, ubi doloris, inflammationis, movendi ineptitudinis & aliorum accidentium vehementia ſimul juncta fuerit & tenſio ſpaſtica ſive convulſio metuenda, tunc licet non ſtatim de Præſagio eventus lethalis (quem in hujusmodi morbis per ſe locum habere, mihi perſuadere non posſum) cogitandum erit, interim magis vel minus dubius ſignificari poteſt, & difficultas curationis ob varia obſtacula intervenientia indicari. Huc pertinent Foreſti modo adductam ſequentes Obſerv. 29. 30. 31. Quod vero etiam interdum funeſtus ſequatur eventus, hoc plane per accidens contingit, quo pertinet prolixa & intricata Obſerv. ap. Th. Bonett. in Sepulchret. L. IV. S. III. Obſ. 26. §. 7. Ita quoque de ſingulari & notatu digna Obſervatione, cujus Sennert. d. l. ex Jo. Phil. Ingraſſia meminit, qui peculiarem propterea tractatum ſub nomine Iatropologiæ ſcripſerat, ſtatuendum, quod mors non tam celeriter ſecuta fuerit ob Ecchymoſin, ſed ob partis nerveæ, tendineæ conſtitutionem, gangrænoſæ corruptioni & ſphaceloſæ occaſionem præbentem. Alia ex Hildan. C. II. Obſ. 83.

Obſ. 83. hæc clarius confirmat, mortem minime ab Ecchymoſi, verum a multis aliis cauſis concurrentibus, per ſe & per accidens ſymbolam ſuam conferentibus gangranæ & ſphaceli generationi anſam manifeſtam præbentibus ſecutam fuiſſe. Licet enim ante caſum hunc ſanus, robuſtus, conſiſtentis ætatis fuerit, victu tamen non adeo delicato & puro uſus, ſed plebejo, in ipſa meſſis opera occupatus ex lapſu & læſione crurum inflicta contrariis animo commotionibus perturbatus ſine dubio fuit (ne de aliis ignotis quid dicam) ut nullum mihi ſit mirum, quod absque ſuſpicione veneni peculiaris intra corpus geniti funeſtus ille eventus, non propter Ecchymoſin, ſed propter gangrænam & ſphacelum ſupervenerit. Exemplum etiam lethale Valleriola L. 3. Obſ. 8. deſignavit, ubi Vinitor ex graviore contuſione præmature extremum obiit diem: quia, referente eodem, diſſecto cadavere e regione vulneris, inter cranium ſat multa puris copia inventa fuit, membranaque ipſa prætumida, qua parte vulnus inſederat: etſi nulla tamen ſubeſſet in cranio fractura ſciſſuraque aliqua, ſed ſola ex ictu concuſſio. Unde factum fuiſſe, ait, ut ictus violentia, venulæ pericranii, ſanguinem fundentes, & ruptæ, ſaniei genitæ materiam præbuerint. In caſu ab alto a ſanguinis effuſione intra cranium, dum meatus cerebri obſtruuntur, ſæpe Apoplexiam aut Syncopem cordialem excitatam fuiſſe, Obſervatt. teſtantur. Reliquis exemplis autorum, quorum mihi non eſt copia, curationem nihilominus admittentibus haud dubie competet prognoſticon eventus magis vel minus ſalutaris, pro circumſtantiarum, uti dictum, varietate.

§. X.

Cognitis & dilucidatis iis, pro ingenii modulo, quæ originem, eſſentiam, cauſas & prognoſin præſentis affictionis concernunt, jam ad Curationem & remedia procedendum. Indicatio primaria, ſed generalior eſt cruoris ſub cute & cu-

ticula ſtagnantis & hærentis Remotio juxta normam Coi noſtri Principis, qui in Lib. de Flatib. num. III. Edit. Lind. Medicinam deſcripſit, quod ſit Additio & Ablatio, Additio eorum, quæ deficiunt, Ablatio vero eorum, quæ excedunt, atque ad hanc pertinet medela Ecchymomatis, verum Indicatio hæc generalior adhuc opus habet ſpecialibus & ſubordinatis ſcopis & Indicationibus v. g. Repulſione, Revulſione, Reſolutione vel Diſſipatione, interdum Suppuratione, quarum tamen executio & determinatio ſpecialior verbis utiliter proponi nequit, niſi ſimul ad ſpeciales vel individuales Caſus reſpectus habeatur, ſiquidem nec omnes ſcopi in omnibus locum inveniunt, verum ſolum aliquæ pro circumſtantiarum varietate. Interim libet quasdam leviter attingere, hoc præmonito, quod ſi Suggillatio cum gravioris momenti morbo conjuncta fuerit, quod curatio non tam contra Ecchymoma, quam graviorem morbum v. g. vulnus, imminentem aut jam præſentem gangrænam, convulſionem &c. dirigenda, quæ ſi ſucceſſerit, ipſa etiam ſuggillatio præſtitis præſtandis mox recedet. Materia remediorum ab Indicationibus illis ſpecialibus nomina ſua obtinentium v. g. Repellentium, Reſolventium, Diſcutientium, Extrahentium, Suppurantium præcipue e promtuario Pharmacevtico & Chirurgico deſumenda, & illorum copia absque reſpectu ad certum morbum in Materiæ Medicæ Scriptoribus, inprimis P. Morello, Wedel. de Facult. Medicam. in Amœnit. Med. cum Syllabo ac Pharmac. Dogmat. Schrœd. Pharmacia cum Clave Hoffmann. nec non hujus Methodo medend. Walæan. pluribusq; aliis habetur, inſtar autem quamplurimorum apparatum abundantem offert Colleg. Pharmacevt. a Magnif. h. t. Rectore D. D. HOFFMANNO privatim calamo nuperrime concreditum. Delectus vero cum formulis e Practicorum ſcriptis, præſertim iis, qui caſus individuales collegerunt, cognoſci poteſt.

§. *XI.*

Nimirum ſi Ecchymoma ſimplicius, recens nec adeo magnum, verum a ſola plaga, offenſione aut caſu obortum fuerit, in principio (quamvis hoc rariſſime contingat) quodammodo Repellentia, qualia & Senn. d. l. propoſuit, aliquando conveniunt, ut & Intercipientia ac Defenſiva Terr. Sigill. Bol. Armen. Sangu. Drac. Nitrum crud. ceruſſa, Rad. Conſol. min. Succus cancrorum vivorum expreſſus, Poſca & ſimilia, vel cum Aceto vel in forma Cataplaſmatis vel Unguenti parti læſæ, rariſſime partibus vicinis ſub nomine Defenſivi applicata, ut ſanguinis affluxum cohibeant & ſufflaminent. Cum his Reſolventia conjuncta ſufficere poſſunt. Hinc magis placet, quod Foreſt. Lib. VI. Obſerv. 28. in tali caſu oleum roſac. cum myrtino mixtum adhibuerit, utpote ab ipſo ſæpius probatum repertum, ſiquidem non ſolum paregoricum & anodynum, verum etiam non ſimpliciter Repellens ſed etiam inſimul Reſolvens propter oleum habendum eſſe videtur, utpote etiam digerendi vim habens, ut & oleum olivarum, quamvis horum oleorum uſum Muys in Praxi Chirurg. Rational. Decad. II. Obſerv. 7. additis rationibus improbaverit. Enimvero mihi non videntur rationes hujusmodi momenti eſſe, ut autoritati Foreſti omnino fide digni aliquid derogare queant, licet conceſſerim, in illa graviore contuſione totius brachii cum ſummo dolore & motus ineptitudine, tumefacto brachio & in eo ſtatim apparente Ecchymoſi non profuiſſe, ut ita Caſus hic ad Foreſti Obſerv. non quadret. Quod vero ejusdem autoris Decad. III. Obſ. 8. exemplum contuſionis oculi dextri a pila ſumma vi impulſa, ſubita impoſitione ſudarioli cum aqua frigida aliquoties madefacti, ſanatæ attinet, quod revera Repellens fuit, non mihi videtur in conſequentiam vocandum, & quod proprie huc pertineat, ſiquidem non expreſſe legitur, quod ſuggillatio ſanguinis adfuerit, ſed ſolum

dolor

dolor atrociſſimus, atque ita retrocedente ſanguine, qui alias haud dubie ſtagnaſſet, ſuggillatio fuit prohibita.

§. *XII.*

Ceterum ex remediis evporiſtis contra Ecchymoſis livorem lippis & tonſoribus quoque nota ſunt, fruſtulum carnis bubulæ recentis in lamellas inciſum & calide impoſitum. Butyrum eliquatum rurſumque concretum chartæ cœruleæ (an color hic aliquid conferat, non eſt mearum partium, nec hujus loci inquirere) illitum & applicatum; nec immerito laudat Waldſchm. ad Tim. Caſum jam ante allegatum evporiſton illud, etiam vulgo notum, *Vinum* calidum duplicatis linteis madefactis aliquoties ab initio impoſitum, quod per accidens vim repellendi habere videtur, ſanguinem ad refluxum per venas diſponendo, dum impedit, ne ſubito concreſcat. Inter Compoſita laudantur Cataplasm. ad contuſ. & livor. fac. Zwelf. Cataplasm. contra cruorem Schrœder. Cataplasm. reſolutiv. Foreſt. Unguent. ad contuſion. Hofm. deſcript. in Spin. Lexico Pharmacevtico-Chemico p. 1031. Emplaſtr. de Melilot. Emplaſtr. Diachyl. ſimpl. præſertim commendat Mynſicht. ſuum Unguent. ad livor. fac. quod Ettmüll. etiam approbat, Emplaſtr. de Spermat. cet. non erit inefficax, aſt quodammodo pretioſum, & plura ſimilia, quæ pro ſcopi præſentis intentione cum judicio eligi & miſceri poſſunt.

§. *XIII.*

Si vero cauſa Suggillationis fortior fuerit cum ruptura vaſculorum & dilaceratione interſtitiolorum absque tamen manifeſto vulnere, tunc omiſſis repellentibus, per Reſolventia, Discutientia & inſenſibiliter extrahentia medela adhibenda, inter quæ omnino tanquam ſpecificum palmam obtinet Rad. Sigill. Salom. præſertim rec. contuſa, in Vino parum macerata & impoſita, conſentientibus omnibus Practicis, cujus efficaciam Spectatiſſ. DN. DECANVS aliquoties obſervavit, nobisque in Colleg. Chirurg. fideliter

commu-

communicavit, mihique retulit, quod ante biennium Ecchymoma a pertuſa vena in brachio magnum obortum feliciſſime in quadam fœmina curaverit. Nec veritati derogat, quod Celeberr. quondam Archiater Timæus Lib. VI. Caſ. 9. in filia efficaciam illam non deprehenderit, ſiquidem, ſi mihi de hoc Caſu judicare licitum, culpa potius præpoſteræ applicationi tribuenda, utpote abſente illo ab initio per plures dies varia Topica v. g. Empl. diachyl. ſimpl. uſurpata fuerunt, an omnia congrua, alii judicent, interim materia cruoris jam variæ mutationi fuit obnoxia, dum ſanguis haud dubie magis coagulatus & corruptus fuit, ut nec reſolvi nec discuti inſenſibiliter amplius potuerit.

§. XIV.

Rad. Conſolid. ſeu Symphyt. maj. eodem modo applicata virtute non cedit, unde etiam plerumque conjunctim vel in ãācā, vel paululum mutata quantitate inſtar Cataplasmatis applicari queunt. Imo ſi jam principium morbi tranſiit, alia etiam admiſceri poſſunt, v. g. fl. vel ſumm. Hyperic. Agrimon. fl. Samb. Chamom. Melilot. Sem. aniſ. loco ideæ formulæ ſit Cataplaſma ſeq.

℞. *Rad. Sigill. Salom.*
Symphyt. maj. ā ℥iß.
Fl. chamemel.
melilot. ā Mß.
M. coq. in Vin. alb. ſ. q. ad conſiſtentiam Cataplasm. cui & croci parum addi poterit.

Hujusmodi formulæ etiam apud Ettmüll. in Collegio Practic. L. VI. Chirurgia Medica inſcripto art. 1. membr. 11. Tom. II. Oper. p. 1226. ſeqq. leguuntur. In Ecchymoſi a contuſione graviore Spirit. Vini, nunc camphoratus nunc crocatus, inunctus & ubi partes nervoſæ ſunt læſæ & ſimul ſuggillatæ, præſertim circa articulos, in talibus Caſibus Balſ. Peruv. cum vitell. ov. & Spirit. Vini, ut & Spirit. ⊖✱ci conducunt, inprimis Nervina dicta v. g. Rosmar. Lavendul. Serpill. Majoran. Origan. Ol. Caſtor. Lumbr. terreſtr. adjungantur pro formularum

C varie-

varietate. Pars nervoſa etiam foveri poterit tali Decocto:

℞. *Rad. Irid. noſtr.* ℥iß.
Fol. Menth.
roriſmarin. majoran. ā Miß.
coq. in ſ. q. Vin. alb. quod Decoct. ſæpius inſtar Fomenti applicetur.

Inprimis ſumma diligentia adhibeatur, in Suggillationibus partium nervoſarum vel tendinearum, ſi his remediis malum haud cedit, ut cruor mature reſolvatur, nec putreſcat & partes nerveas inficiat & gangrænoſas reddat. Fel. Platerus, alleg. Walthero in Sylva p. 508. efficaciſſimum in Ecchymoſi laudat hoc:

℞. *Farin. fœnugræc.* ℥j.
Thur. Myrrh. vel Lacc. ā ℥j.
Stercor. caprin. ℥ß.
⊖*is* ℥ij. Coq. in Vin. F. Emplaſtr.

§. *XV.*

Verum alios Caſus Ecchymomatum graviores complicatos a plaga fortiori, lapſu ab alto aut ſclopetorum transfosſione cum Vulnere, Tumore maj. Dolore propter partes nervoſas, periculo ſuppurationis, gangrænæ, cum prudentia peculiari Medica opus ſit, ut remedia Topica nec non interna diverſæ efficaciæ recte conjungantur & applicentur, quemadmodum hoc e lectione Obſervationum & Caſuum cognoſcere licet, lubens prætereo, ſiquidem ſcopus curandi non tam ad Ecchymoſin, quam ad graviores morbos, abſceſſum, vulnus, rupturam, putrefactionem &c. dirigendus, quod prolixius foret, ſi Caſus ejusmodi vellem attingere.

§. *XVI.*

Interna etiam ſanguinem diſſolventia non plenarie ſunt intermittenda, ſed cum circumſpectione in uſum etiam vocentur, qualia inter compoſita conducent Pulvis contra caſum Aug. & Zvvelf. pulvis ad ſanguinem coagulatum reſolvendum Dan. Ludovic. Spec. Diamum. Mynſ. Unguentum potabile rubrum rite paratum. Si quis formulas deſiderat tales

porri-

porrigunt J. H. Jungken Fundament. Medicinæ Modernæ p. 588. ℞. ▽æ chærefol. ℥j.
🜊ti optim. ʒij.
Tinct. Bezoard. ʒß.
Oc. ♋, *præparat.*
Sangu. hirc. præparat. ā gr. xv.
Tinct. anod. gutt. x.
Sir. artemiſ. ʒij. M. D. pro Doſ.

Vel: ℞. *Spermat. cet.* ʒj. D. pro Doſ.

farraginem ampliorem tum remediorum tum formularum invenies apud Sennert. d.l. & alios Scriptores Practicos & Chirurgicos citatos.

§. *XVII.*

An in Ecchymomate a cauſa interna etiam medicamenta externa ſive Topica hactenus propoſita & laudata, locum habeant? quæri poſſet, ſed reſpondeo, per ſe & primario quidem talia non requiri, ſed ſolummodo per accidens & ſecundario, etenim ſi cauſa interna humorum varie vitiatorum per appropriata interna debelletur & corrigatur, Ecchymoſis etiam ſucceſſive evaneſcet, niſi quod fortaſſis cutis colore p. n. vitiata & dolore intumeſcente obſeſſa horum remotionem per Topica requirat.

§. *XVIII.*

Inter Chirurgica remedia primo occurrit & a plerisq; commendatur Venæſectio, quæ in quibusdam majoribus ſuggillationibus ſtatim in principio apprime neceſſaria eſſe videtur, revulſionis vel derivationis gratia, ut natura defectum detracti ſanguinis partibus ſuggillatis ſuppleat, ſanguinem in venulas recipiendo. Ubi autem hæc locum non habet & ſuggillata & contuſa ſunt nimis profunda, & Maturantia & Suppurantia reſpuunt, Scarificatio profunda inſtituatur, vel ſcalpello aperiantur, aut etiam cucurbitulæ, ſi neceſſitas efflagitet, applicentur, ut ſanguis coagulatus, grumoſus, putreſcens & corruptus, quoad fieri poteſt, extrahatur & evacuetur; Hinc pars aperta mundificetur & conſolidetur, ubi cum Digeſtivis applicetur Balſam. ſimpl. vel thereb. Balſam. Peruv. Tolut. c. addito

dito ☍ deſtillato pro re nata Lign. Sanct. & ♀i, præ multis proſunt Unguent. Ægyptiac. Emplaſtr. de Lap. Calamin. Spir. Vin. c. Mercurio dulci mixtus impoſitus & inſperſio pulveris myrrhæ, aloesque. In metu Gangranæ autem, ne plane remedia huic opponenda omittere videar, eam præcipue præcaveas ol. cer. ſuperimponendo Emplaſt. de cumin. vel bacc. lauri, non neglectis internis convenientibus, præſertim oleo lavend. deſtillato ad tenſiones nervorum & convulſiones valde laudato, & aliis alexipharmacis præcipitantibus, nervinis & corroborantibus.

§. XIX.

Quo modo regimen rerum ſex nonnaturalium accommodari debeat, brevitatis ſtudio paucis attingere libet, præſertim quod in abſtractiva ab individualibus Caſibus pertractatione commode fieri nequeat. Diæta vero illo remedio polychreſto maxime abſolvitur, quo multi magni morbi, teſte Principe Medico, curantur, Abſtinentia nempe & Quiete. Præſertim autem 🜁 ſit purus, tepidus & placatus. Cibus ſit εὔπεπτος & εὔχυμος, isque magis humidus, quam ſiccus. Potus ſit vinum tenue, cereviſia probe defœcata aut etiam medicata. Somno, quantum poſſibile, indulgendum. Motus ſit blandus, nec modum excedat, imo fere nullus aut paucus. Excernenda conſuetum tempus ſervent, alvusque autem pigrior emollientibus aut laxantibus proritetur. Maxime autem Animi Pathemata vehementiora vitentur, & quæ ſanguinis ſpirituumque motum turbare poſſunt, componantur.

§. XX.

Atque hæc impræſentiarum pro ingenii & judicii tenuitate, & librorum curta ſuppellectile dixiſſe ſufficiant, eaque, quæ minus ἀκριβῶς dicta ſunt, ab æquis Cenſoribus dextre acceptum iri, conconfido, perpendens, hanc materiam tam in Theoria, quam in Praxi perquam eſſe difficilem, neque ſpecialiſſime pertractari poſſe, ſed pro individui afflicti conditione Medico præſenti eſſe relinquendam. DEO autem T. O. T. M. pro conceſſis viribus in exantlandis ſtudiis meis Academicis atque pro infinitis in me collatis beneficiis immortales ago gratias, atque porro meis conatibus ex alto benedicere ut velit, devote precor.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα καὶ αἶνος.

Corrigenda: P. 4. l. ult. ὑπόσφαγμα. p. 7. l. 21. refutavit. p. 8. l. 12. Caſibus. p. 15. l. 21. confidentia.